

Congregatio Hispano-Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Cúriel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

(Continuatio ad fasc. II. 1907. pg. 315—331.)

V.

Abbates Generales usque ad finem Congregationis.

80. Enneco Gonzalez de Ferreras, 1749—53, ex Campania Vaccoeorum, monachus Coenobii Onniensis, cuius regimen semel et iterum ei commendatum est priusquam ad generalatum ascenderet, fuit quoque Magister ac concionator generalis atque Definitor Congregationis in qua, exempla praedecessorum aemulatus, studia ecclesiastica fovit.¹⁾

81. Victor Lasanta, 1753—57, a Soto de los Cameros in Rigovia, annos habens 17 mundo valedixit atque cucullum induit in Monasterio Sti. Joannis de Corias. Studiorum cursu emenso, Philosophiam docuit in Collegio Espinaredae, indeque ad abbatialem dignitatem in suo coenobio gerendam assumptus est. Praeterea fuit Visitator generalis, atque post expletum Generalatus officium, Abbatiam S. Martini Matritensis gubernavit (1757—61, 1765—69). Ultimo vitae suae tempore degebat in Monasterio Vallisoletano, ubi decessisse videtur initio anni 1773. Claruit non parum virtutibus, praecipue vero zelo religiosae observantiae, aequitate, charitate in pauperes ac pietate in Deum, unde innixus illis verbis „Sic nos tu visita sicut te colimus“ plura hujusce pietatis signa in sacris aedibus reliquit.²⁾

82. Josephus Balboa, 1757—61, ex nobilissima gente apud Galloeciam progenitus, divino servicio se mancipavit in regia Sancti Martini Matritensis abbatiam, et antequam ad summum Congregationis gradum perveniret, munere Praedicatoris generalis, necnon et Abbatis Monasterii Hirachensis functus est. Reliqua nobis adhuc incognito sunt.³⁾

¹⁾ Feijoo, »Justa Repulsa«, Matr. 1749; »Cartas criticas«, Vol. III, IV, Matr. 1749, 1752: Carcamo (Mich.) O. S. B., »Conducta del Sabio«, Matr. 1753. Videtur fuisse alium Enneconem de Ferreras, qui an. 1769 Philosophiam tradebat in Collegio quodam Congregationis, et postea fuit Abbas Compostelanus (1785—1789). Non enim credibile est quod post Generalatum, et jam valde senes, ad Philosophiam docendam destinaretur, attenta praecipue hujus congregationis oeconomia.

²⁾ Diaz del Caño (Remig.) O. S. B. »Oracion fúnebre« 1773; Ferotin, Histoire de l'Abbaye de Silos, pag. 207.

³⁾ Catalogi Mss. Feijoo, »Cartas Criticas«, tom. IV et V.

83. Josephus Tost, 1761—65,

fuit patria Gotholaunus, et monachus Coenobii Sancti Felicis Guixolensis, cujus baculum ei traditum est anno 1749. Nihil aliud de eo postea invenimus¹⁾

84. Isidorus Arias, 1765—69,

natus in Villa-Rodrigo, Dioecesis Legionensis, ex illustribus genitoribus, cum primum ad competentem pervenit aetatem, sacrum habitum suscepit in antiquissimo Coenobio Charadignensi. Emissa professione missus fuit ad Collegia Congregationis, cumque in studiis valde profecisset, injunctum est ei complere illa Salmanticae, atque Doctoris gradum ibidem assequi, deinde cathedram Vesperinam necnon et Primariam conscendere, et tandem regimen Abbatiae Sancti Vincentii suscipere, cuius aedes magnis sumptibus instauravit. Post adimpletum Generalatus officium secessit in Coenobium suum Charadignense ubi mortalem cursum finivit an. 1775. Laudatur ut amator solitudinis, ociositatis inimicus, atque assiduus et indefessus in labore, unde evasit eximius theologus perfectusque philosophus, atque in omnibus disciplinis apprime excultus. Nomen tamen suum non parum maculavit approbans opus quoddam Petri Rodriguez Campomanes, regii ministri, quod in Indicem librorum prohibitorum relatum est anno 1825.²⁾

85. Michael Roete, 1769—73,

in oppido Riaflecha, provinciae Rigoviae ortus est, atque habitum S. P. Benedicti suscepit in Monasterio Stae. Mariae Naxarensis. Quae munera, ante vel post Generalatum obierit nobis incompertum adhuc est; hoc unum novimus, quod maxime in honorem ejusdem totiusque Congregationis hispanicae redundat, nempe quod animo proposuerit scribere historiam ecclesiasticam, civilem atque diplomaticam Hispaniae, cuius Apparatus exemplar habemus exscriptum ex illo quod ipse ad omnia Congregationis Monasteria direxit die 13 Januarii anni 1773. Opus tamen optatum exitum non habuit.³⁾

86. Anselmus Rodriguez, 1773—77,

gente gallaicus, ortus est in oppido Castrelo, Dioecesis Auriensis, et sacrae Religioni nomen dedit in Monasterio S. Salvatoris de Lorenzana. Quae officia in Congregatione exercuerit ignoramus,

¹⁾ Catalogus Ms. Abbatum Guixolensium. Villanueva, »Viaje literario«, XV, 18, ubi assignatur annus ejus regiminis 1753, quod verum esse non potest, si conferatur cum catalogo Ms. supra citato, nisi intelligatur de anno quo finivit hoc munus.

²⁾ Mendoza (Basil.) O. Cist. »Oracion funebre«, die XI. Novembris 1775 habita in Sacello almae Universitatis Salmaticensis.

³⁾ Catalogi Mss.: »Proyecto de un Plan de estudios monásticos« Matriti, 1828, pag. 30.

scimus tantum quod ob vitae meritum ad Episcopalem Cathedram Almeriensem ascendit anno 1780, quam duodecim annis rexit, nempe usque ad diem 14 Januarii 1792 quo ad praemia aeterna vocatus est.¹⁾

87. Benedictus Uría, 1777—81,

Asturus, a Cangas de Tineo, Dioecesis Ovetensis, monasticum institutum amplexus est in Monasterio S. Salvatoris de Cellanova. Vita et doctrina clarus post exactum munus Generalatus promotus est ad Sedem Episcopalem Civitatensem (Ciudad Rodrigo) anno 1785, vixitque ibi difficillimis Ecclesiae regnique temporibus usque ad an. 1810, quo e vita migravit. Reliquit opus de rebus monasticis magno pretio apud sodales jure habitum.²⁾

88. Paulus Varcareel, 1781—85,

a Pallantia Campaniae Vaccocorum nobili urbe, vitam monasticam inchoavit in antiquissimo Coenobio Sancti Claudii Legionensis. Hoc solummodo de eo novimus quod quadriennio ante generalatum munere definitoris functus fuerat.³⁾

89. Benedictus Iriarte, 1785—89,

a Corella, regni Navarrae, Dioecesisque Turiasonensis oppido, vota monastica emisit in Monasterio Sanctae Mariae Hirachensis. Regimen Abbatiae Sahaguntinae semel et iterum ei concreditum est priusquam ad supremam Congregationis dignitatem perveniret, scilicet an. 1773—77 et 1781—85.⁴⁾

90. Benedictus Camba, 1789—93,

apud Monforte de Lemos natus, habitum benedictinum suscepit in Coenobio Silensi annum aetatis decimum septimum agens (scil. 1742). Munus abbatiale gessit primum in Monasterio Exlonzensi (1765—69), deinde apud S. Martinum Matritensem (1777—81) et tandem in Coenobio Silensi (1785—89). Absoluto Generalatus officio iterum commissa fuit eidem Abbatia Sti Martini Matritensis, ubi vitam finivit die 8 Januarii an. 1804.⁵⁾

91. Joannes Ron, 1793—97,

Asturus, á loco dicto Cecos, Dioecesis Ovetensis, monachus vero professus Coenobii Sti Martini Compostellae in Gallecia ubi fuit

¹⁾ Catal. Mss. Gams »Series Episcoporum Eccl. Cath.« pag. 6.; Lafuente (Vinc.) »Historia eccl. de España« VI, 234, edit. Matrit. 1875.

²⁾ Gams, op. cit. pag. 66.; Lafuente VI, 298. Plaine, »Series Chronologica« etc. Studien, 1882, III, 183.

³⁾ Catalogi Mss.

⁴⁾ Loci cit.

⁵⁾ Catalogi cit. Ferotin. op. cit. 185/86, 207.

Abbas, 1781—85. P. Filgueira laudat illum ob ejus longam in rebus gerendis experientiam, summamque prudentiam necnon et praestantem virtutem ac scientiam, et quod esset ab omni partium inclinatione alienus.¹⁾

92. Enneco Mendieta, 1797—1801,

nobili ortus genere, adhuc juvenis mundo valedixit atque Regulam S. P. Benedicti professus est in Monasterio S. Salvatoris Onniensis. Missus ad studia perficienda in Collegiis Congregationis prae ceteris excelluit modestia, gravitate, amore silentii magnoque ingenio, quibus virtutibus viam ad dignitates sibi facile aperuit. Itaque Abbas esse meruit primum Coenobii sui Onniensis, deinde Sancti Martini Matritensis (1789—93), item Procurator generalis Matriti octo annis, et postea per quadriennium apud Romanam Curiam; praeterea Definitor atque Socius Abbatis Generalis. Absolutus a Generalatu, decessit é vita die 30 Septembris ejusdem anni, aetatem habens 72 an.²⁾

93. Bonaventura Ordoñez, 1801—4,

lucem primam aspexit apud Tamaron, Archidioecesis Burgensis oppidum an. 1738. Missus Burgos studiorum causa, paulo post Ordini nostro nomen dedit in praeclaro Coenobio Sti Joannis Bapt. ejusdem civitatis. In Collegiis, ad quae missus est, enituit maxime virtute atque litterarum amore, itaque Magisterii lauream Salmanticae adeptus est. Semel et iterum abbattialem gessit dignitatem in Coenobio Burgensi, et deinde fuit Procurator generalis pro negotiis Romanis, quo tempore obtinuit extinctionem quindenniorum quae Monasteria solvebant. Postea traditae sunt ei Exlonzenses infulae, illoque tempore copiosis eleemosynis erogatis bonum nomen sibi comparavit. Factus Definitor an. 1797 secessit in Coenobium Burgense, ex quo ad Congregationem moderandam ob vitae sanctitatem extractus est. Sacra visitatione Monasteriis peracta non sine magnis laboribus ob infirmam valetudinem, ad Burgense Coenobium rediit, ibique inter fratres suos, ut maxime optaverat, vitae cursum implevit die 24 Octobris an. 1804, aetatis habens 66 annos, menses tres, quatuorque dies. Vix cognita fuit in civitate mors Rmi. P. Ordoñez, cives omnium graduum ad monasterium Sti Joannis convolarunt petentes ejus suppellectilia, vel quidquid in vita ad usum habuisset, propter magnam aestimationem quam circa vitae sanctimoniam cuncti habebant.³⁾

¹⁾ Catalog. cit. Filgueira (Dom.) O. S. B. »La Autoridad. explicada y defendida«, Ms. Artic. 22, n. 23. »Abades del Real Monasterio de S. Martín de Pinario«, Ms.

²⁾ Romeo (Norbertus) O. S. B. »Oracion fúnebre« habita die 22. Decembris 1803 in Coenobio Onniensi. Burgos, 1804. Ferotin, op. cit. pag. 207.

³⁾ Montes (Fulg.), »Oracion fúnebre«; Filgueira, op. cit.; Catalogi cit.

94. Benedictus Lexalde, 1804—5,

Navarrus, á Fitero, Dioecesis tunc Nullius, cucullum monasticum induit in Monasterio Sahaguntino, ad cujus regimen assumptus est anno 1789. Morte praecedentis successit in Generalatus iuxta Constitutiones ad quadriennium complendum.¹⁾

95. Ferdinandus Montenegro, 1405—1414,

Gallaicus, votis monasticis Deo se consecravit in Coenobio Sti Salvatoris de Cellanova. Aetate jam proventus ad supremam Congregationis dignitatem promotus est, ut innuit P. Filgueira, qui eum vocat venerabilem senem, justum, sapientem et expertum, dignumque meliorum temporum vitae monasticae. Ob irruptionem gallorum in Hispaniam impedita fuit celebratio Capituli Generalis, ideo Rmus. P. Montenegro Congregationem gubernavit usque ad an. 1814.²⁾

96. Anselmus Pelaez, 1814—18,

Asturus et Monasterii Sti Salvatoris de Lorenzana monachus, atque Definitor secundus ab an. 1805 ad 1814, electus fuit Abbas Generalis in Capitulo quod an. 1814 congregatum est in Monasterio Cellaenovae. Nihil amplius de ipso novimus.³⁾

97. Josephus Samaniego, 1818—23,

a Tauro Campaniae Vaccoeorum nobili urbe, vitam monasticam professus est in Monasterio S. Benedicti Sahaguntini; Definitor (1805—14) atque Magister generalis (1814); vir, ait P. Filgueira, integritate, sapientia, providentia, et equanimitate praeditus. Ejus Generalatus turbatus est iniquis Gubernii liberalis impiique legibus adversus Ordines Religiosos. Eiectis monachis é suis coenobiis, Rmus. P. Samaniego in nativam secessit civitatem, ibique dolore tantae calamitatis, in annalibus Hispaniae non audita, contractus obiit anno 1823⁴⁾

98. Michael Godos, 1823—24,

honestis parentibus ortus an. 1778 apud S. Facundum (Sahagun), vota sua nuncupavit in Coenobio S. Joannis Bapt. de Corias. Philosophiam docuit in Collegio Obonensi, Theologiam vero in Salmantino. Anno 1814 electus fuit Definitor neonon et Procurator generalis pro Asturibus, deinde baculum Abbatiae Sti Salvatoris de

¹⁾ Catalogi cit.

²⁾ Filgueira, op. cit., art. 25. Catal. cit. Lista del Capitulo General de San Benito, celebrado en el Monasterio de Sahagun este Anno de 1805.

³⁾ Filgueira, op. cit. »Lista del Cap. gen.« etc. 1805; idem, 1814.

⁴⁾ Catalog. Mss. cit. »Lista del Capit. Gen. . . « 1805, item, 1814 et 1818. Filgueira, op. cit. Praefatio.

Celorio traditum est ei anno 1818. Mortuo Rmo. P. Samaniego, inspectaque urna suffragiorum ad successorem ei tribuendum, inventus est primo loco P. Anselmus Valcareel monachus Stae Mariae de Najera, qui jam obierat Abbas Monasterii Hirachensis, ideo salutatus fuit Abbas P. Michael Godos qui secundo loco ad id munus designatus erat, rexitque Congregationem usque ad Capitulum Generale, quod celebratum est an. 1824 in Monasterio Sahaguntino. Postea nullum aliud munus in Catalogis Capitulorum ei assignatur: verumtamen an. 1826 invenimus eum visitationem Monasteriorum Cathalauniae fortasse loco Abbatis Generalis peragentem. Post extinctionem Ordinum Religiosorum an. 1835 ab impio gubernio peractam P. Godos remansit apud Ovetum, ubi, postquam per plures annos in salutem animarum valde incubuerat, meritis plenus e vita migravit die 23 Junii 1850.¹⁾

99. Paulus Colmenares, 1824—25,

natus est in Autol, Dioecesis Calagurritanae, die 25 Januarii 1766, et cucullum benedictinum induit in Monasterio S. Juliani de Samos, cujus Abbas electus est (1801—4). Anno 1804 nominatus est Chronographus Congregationis, et ab anno 1818 ad 1824 Abbatiam Stae Mariae Montisserrati Matritensis gubernavit. Vix electus fuerat Abbas Generalis cum Rex Catholicus Ferdinandus VII eum pro Sede Illerdensi praesentavit (26 Aug. 1824), ideoque a Leone XII in Consistorio diei 20 Decembris praeconizatus est atque consecrationem episcopalem accepit die 20 Martii 1825. Ex dispensatione Nuntii Apostolici regimen Congregationis ali, quandiu retinuit.²⁾ Die VIII Junii Dioecesim suam ingressus, illam septem annis magno zelo gubernavit, et dum ipsius visitationem peragebat obiit apud Monzon, Regni Aragonici nobile oppidum, die 20 Junii 1832, ibique in Ecclesia Collegiali sepultus est.³⁾

100. Carolus de San Millan, 1825—28,

Burgensis, monachus Asceterii Stae Mariae de Valvanera, successit in Generalatu ob promotionem praecedentis ad dignitatem Episcopalem. Antea fuerat Elector Abbatum (1805—14), Abbasque

¹⁾ Catal. cit. »Lista del Capit. Gen. . . .« 1814: item, 1818; Filgueira, op. cit. art. 25; Garrido (Ven.) O. S. B. »Memoriae« Ms.; Plaine, O. S. B. »Series Chronologica Scriptor O. S. B. hispan.« Studien 1884, III., pag. 450 — fallitur tamen hic autor, qui eum facit Abbatem Cellaenovae, loco Cellorii ut ex Catalogis patet.

²⁾ Ita constat ex Epistola ejusdem ad Abbatem Guixolensem, 15. Sept. 1824 fortasse regimen retinuit usque dum praeconizatus est. Hoc certe novimus quod mense Febuario an. 1825 Congregationi praesidebat P. Bernardus Montes, primus Definitorum (antea Abbas Burgensis, postea Lerezensis) ut constat ex litteris ejus ad Monasteria sibi subjecta. (25. Febr. 1825.)

³⁾ España Sagrada« vol. XLVII, pag. 147; Lafuente, op. cit., VI, 309; Gams, p. 45.

Coenobii sui ab anno 1814 ad 1818; deinde Visitator Generalis, atque Lector Theologiae in Monasterio Stae. Mariae de Najera (1818), necnon Abbas Ovetensis ab anno 1824. Post adimpletum Generalatus officium traditae sunt ei Neo-Montserratenses infulae; deinde in sequenti Capitulo deest eius memoria fortasse quia iam obierat.¹⁾

101. Fulgentius Campo, 1828—32,

Gallaicus, professione filius Monasterii Sancti Zoyli de Carrion, cujus sedem abbatialem occupavit ab an. 1814 ad 1818 quo fuit electus definitor, et sequenti quadriennio praefectus est Monasterio S. Vincentii Salmanticensis, ex quo ad supremam dignitatem Congregationis ascendit. Obiit paulo ante celebrationem Capituli Generalis.²⁾

102. Josephus Rodriguez, 1832—34,

Asturus, religiosam professionem emisit in Asceterio S. Petri de Montes, cuius baculum abbatiale accepit anno 1814. Deinde fuit designatus Elector Abbatiarum (1818). Sequentibus quadrienniis apparet Vicarius tum Monialium Compostellanarum, tum Ovetensium. Rexit tantum duobus annis Congregationem, siquidem vitae cursum finivit die 26 Martii an. 1834.³⁾

103. Beda Perez, 1834—35,

suffectus est loco praecedentis, iuxta Constitutionem. Lucem viderat in provincia Vandaliae, atque vitam monasticam amplexus erat in Coenobio S. Benedicti Hispalensis, ubi munus abbatiale semel et iterum obivit, nempe an. 1818—24, et an. 1828—32. Fuit quoque bis Elector Abbatiarum, scil. an. 1824—28 et tandem an. 1832. Vix anno elapso ab ejus designatione in Abbatem Generalem extremum clausit diem III idus Aprilis an. 1835.⁴⁾

104. Josephus Blanch, 1835—51,

natus apud Villafranca del Panadés, Dioecesis Barcinonensis, Domino se consecraverat in Domo B. Mariae de Montserrat, ubi sacrum habitum induit die 3 Oct. 1790, atque vota nuncupavit 15 Oct. an. sequentis. Primum designatus fuit Concionator Coenobii

¹⁾ Catalogi cit. Casas (Hyppol.) »Historia de Valvanera« pag. 158, 211. »Lista del Capit. Gen. . . . 1805«; item 1814, 1818, 1824. — »Plazas Escolásticas y Púlpitos del Capit. Gen.« etc. 1818.

²⁾ Catalog. cit. »Lista del Capit. Gen.« 1814, 1818, 1824, 1828.

³⁾ Catal. cit. Confundendus non est hic Abbas Generalis cum alio Josepho Rodriguez, qui an. 1814 fuit Abbas Lorenzanensis, et sequenti quadriennio Definitor, ut videre est in Catalogo dictorum annorum. — Cf. Lista del Cap. Gen. 1814 et seq.

⁴⁾ Catalog. cit. »Lista del Capit. Gen.« 1818 et sequent.

Guixolensis (1814), deinde Sanctuarii Montserratensis (1818), postea Abbas ejusdem (1824—28), sequenti quadriennio Definitor (1828—32), iterumque Abbas Montiserrati an. 1832. Ob mortem praedecessoris regimen totius Congregationis suscipere debuit, at non multo post iniquissimis gubernii legibus omnes Ordines regulares iterum in Hispania extinguentibus, dissolutionem Congregationis conspexit. Ipse post varios casus pertransiit Neapolim, ubi erat Prioratus ad Sanctuarium Montserratense pertinens, ibique mansit usque ad mensem Septembris an. 1844, quo, instante populo cleroque Cathalauniae, Regina Elisabeth decrevit restaurationem hujus Sanctuarii. Dum igitur huic operi totis viribus incumbebat ad praemia aeterna vocatus est die 15 Septembris 1851.¹⁾ Fuit ultimus Abbas Generalis Congregationis Sancti Benedicti Vallisoleti.

* * *

Post obitum Rmi. P. Josephi Blanch, cum jam pariter decessissent omnes ad munus hujusmodi juxta Constitutiones designati, ad tenorem decretorum Capit. Generalis an. 1818 quod postea confirmatum est in sequentibus,²⁾ recognitus est tamquam Praeses Congregationis

Bartholomaeus Conde, (1851—59),

secundus Definitorum, monachus Coenobii Compostellani, ejusque concionator ab anno 1814. Fuerat quoque Secretarius Congregationis (1824) atque Abbas Sancti Martini de Compostella (1828—32). Congregationem direxit usque ad diem 9 Maji an. 1859, quo subita morte é vivis sublatus est.³⁾ Post illum solummodo mentionem invenimus

Joannis Emmanuelis Garcia, (1865),

qui vocatur a Lorenzana, quia forte in eo Monasterio religiosam vitam amplexus fuerat. Hic erat an. 1865 unicus superstes omnium Patrum Definitorum, eique obediebant monachi Congregationis, ut patet ex epistola Monachorum S. Martini de Compostella Rmo. P. Michaeli de Muntadas, Abbati Montserratensi, scripta. Paulo post apparent Vallisoletani absque Pastore, sicque per decennium et amplius permanserunt, licet enim an. 1878 decreverint proponere S. Sedi ad munus hujusmodi Patrem Magistrum

¹⁾ Catalog. cit. Lista del Capit. Gen. . . . 1814 et sequent.; Muntadas: Montserrat (historia) Manresa, 1871, pag. 324. — »Nueva historia de Montserrat« Barcelona 1895, pag. 335, sig. 353, 435—36, 519.

²⁾ Filgueira, opus cit.

³⁾ Lista del Capit. Gen. 1814 et seq.: item Litterae P. Sancti Salvado, O. S. B. ad fratrem suum D. Rudesindum Salvado, O. S. B., Abbatem Neo-Nursinum.

Benedictum Gonzalez Araujo,

Abbatem olim Samonensem (1828—32), hoc tamen effectum non habuit, hicque Pater obiit nonagenario maior anno 1883. Interea nonulli monachi diversorum Coenobiorum convenientes inter se anno 1880 Monasterium Samonense restaurare coeperunt sub directione Patris

Gasparis de Villaroel,

qui abbas hujus Coenobii constitutus, ut in primo capite diximus, aliquot post annos illud cum Monasterio Sti Claudii, a monachis Samonensibus dependenti, aggregavit Provinciae hispanicae Congregationis Casinensis a primaeva observantia, partim ex aliis ad Vallisoletanam pertinentibus compositae; itaque aliquomodo praeclara haec Congregatio, licet ut talis existere desiit, in haeredibus perseverat.

Die wahre historische Bedeutung Konrads von Gelnhausen zu Beginn des großen abendländischen Schismas.

Antrittsvorlesung des Privatdozenten für Kirchengeschichte Dr. Franz Bliemetzrieder an der theologischen Fakultät der k. k. Karl.-Franzens-Universität zu Graz den 22. April 1907.

Hochwürdige Herren Professoren der theologischen Fakultät, Hochverehrte Versammlung! Sie haben sich hier zusammengefunden, um meiner ersten Vorlesung beizuwohnen, die ich hier an der theologischen Fakultät der Alma mater Francisco-Carolina als Privatdozent der Kirchengeschichte halten darf. Einstens war ich hier Student der Theologie. Jetzt hat der Beschluß des hochw. Professorenkollegiums der theologischen Fakultät für die Kirchengeschichte mir die *venia legendi* zuerkannt und das hohe k. k. Ministerium für Kultus und Unterricht hat mit Erlaß vom 8. Dezember 1906 diesen Beschluß bestätigt. Möge es mir gelingen, dieser hohen Aufgabe, an der höchsten, der wissenschaftlichen Bildung geweihten Stelle, der Universität, gerecht zu werden.

Ich will heute die wahre historische Bedeutung Konrads von Gelnhausen zu Beginn des großen abendländischen Schisma besprechen. Meine Herren, es steht fest, der gewaltige Fortschritt der modernen Zeit hat auch die Wissenschaften in großartiger Weise vorwärts gebracht. Neue Gesichtskreise eröffneten sich der Betrachtung und nicht selten hat sich der bisherige Rahmen als zu eng erwiesen und neue Disziplinen zweigten sich ab. Dieser allgemeine Fortschritt der intellektuellen